

APPENDIX.

Sequuntur quinque formulæ, quæ typis impressæ, cum spatiis vacuis pro inscriptione eorum, quæ in supplica et correspondente rescripto variant, in S. C. de Prop. F. exhibentur mihiq̄ ab amico Romano procuratæ sunt, ut perspiciatur, quomodo in dicta S. Congr. praxis quoad hoc se habeat. Singulæ formulæ scriptæ sunt in singulis foliis, per 11 x 8 pollices se extendentibus. Spatium, quod in singulis vacat, per lineas indicatur.

I.—*Formula pro dispensatione in consanguinitate vel affinitate cum causa infamante.*

BEATISSIME PATER

Oratores .....

suppliciter petunt a Sanctitate Vestra dispensationem super impediment.....

ut matrimonium inter se contrahere valeant.

Causæ sunt : .....

et incestus habitus inter eosdem Oratores .....

Ex Audientia SS<sup>m</sup>i die.....189

SS<sup>m</sup>us Dominus Noster.....Divina Providentia PP.....

referente me infrascripto S. Congregationis de Propaganda Fide.....  
facultatem tribuit R. P. D. ....

ut, sive per se sive per alium ecclesiasticum virum ab eo specialiter deputandum, interdicto quovis tractu familiari, per tempus sibi benevisum, quo decurrente Oratores ad pœnitentiæ sacramentum accedant, prævia absoluteione a censuris et pœnis ecclesiasticis quas ob præmissa incurrerint et ab incestus reatu, atque imposita pro modo culparum congrua pœnitentia salutari, cum iisdem dispensare valeat super enunciat.....impediment.....

quatenus matrimonium inter se valide et legitime contrahere, in eoque postmodum libere et licite remanere possint, prolem sive susceptam sive suscipiendam, dummodo non fuerit ex adulterio concepta, legitimam declarando, erogata in pium opus aliqua elemosyna, iuxta vires, arbitrio Dispensantis. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romæ ex Ædibus S. Congregationis de Propaganda Fide die et anno ut supra.

(Gratis quocumque titulo.)

II.—*Super mixta religione.*

BEATISSIME PATER

Orat..... catholic.....

humiliter petit a Sanctitate Vestra dispensationem super impedi-  
mento mixtæ religionis; quatenus matrimonium inire valeat cum  
acatholic.....

Causæ sunt:.....

Ex Audientia SSm̃i habita die.....189

SSm̃us Dominus Noster.....Divina Providentia PP.....  
referente me infrascripto S. Congregationis de Propaganda Fide  
.....facultatem tribuit R. P. D.....

ut, sive per se sive per alium ecclesiasticum virum ab eo specialiter  
deputandum, dispensare valeat cum Orat.....super enunciato  
impedimento mixtæ religionis, quatenus cum prædict.....  
acatholic.....matrimonium valide et legitime contrahere, in eoque  
postmodum libere et licite remanere possit, prolem exinde susci-  
piendam legitimam declarando; dummodo cautum omnino sit condi-  
tionibus ab Ecclesia præscriptis, præsertim vero de amovendo a  
parte catholica perversionis periculo, de conversione partis acatho-  
licæ pro viribus curanda, deque universa utriusque sexus prole in  
sanctitate catholicæ religionis omnino educanda: atque ea lege ut  
nec ante nec post matrimonium coram parrocho catholico initum,  
partes adeant ministrum acatholicum, erogata in pium opus aliqua  
eleemosyna, iuxta vires, arbitrio dispensantis. Contrariis quibus-  
cumque non obstantibus.

Datum Romæ ex Æd. Sacræ Congregationis de Propaganda Fide  
die et anno ut supra.

Gratis quocumque titulo.

III.—*Super cultus disparitate.*

BEATISSIME PATER

Orat..... catholic.....

suppliciter petit a Sanctitate Vestra dispensationem super impedi-  
ment.....  
disparitatis cultus; quatenus matrimonium inire valeat cum.....

Causæ sunt:.....

Ex Audientia SSm̃i habita die.....189

SSm̃us Dominus Noster.....Divina Providentia PP.....  
referente me infrascripto S. Congregationis de Propaganda  
Fide.....facultatem tribuit R. P. D.....

ut, sive per se sive per alium ecclesiasticum virum ab eo specialiter  
deputandum, dispensare valeat cum Orat.....super enun-  
ciat.....impediment.....

.....disparitatis cultus quatenus cum prædict.....

matrimonium valide et legitime contrahere, in eoque postmodum  
licite et libere remanere possit, prolem exinde suscipiendam legiti-  
mam declarando; dummodo cautum omnino sit conditionibus ab  
Ecclesia præscriptis, præsertim vero de amovendo a parte catholica  
perversionis periculo, de conversione partis infidelis pro viribus  
curanda, deque universa utriusque sexus prole baptizanda et in  
sanctitate catholicæ religionis omnino educanda: erogata in pium  
opus aliqua eleemosyna, iuxta vires, arbitrio dispensantis. Con-  
trariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romæ ex Æd. Sacræ Congregationis de Propaganda Fide,  
die et anno ut supra.

(Gratis quocumque titulo.)

IV.—*Super mixta religione cumalata alio impedimento dirimente.*

BEATISSIME PATER

Orat..... catholic.....

humiliter petit a Sanctitate Vestra dispensationem super impedi-  
mentis.....

et mixtæ religionis; quatenus matrimonium inire valeat cum  
acatholic.....

Causæ sunt: .....

nec non cohabitatio cum copula incestuosa.

Ex Audientia SS̄mi habita die.....189

SS̄mus Dominus Noster.....Divina Providentia PP.....  
referente me infrascripto S. Congregationis de Propaganda  
Fide..... facultatem tribuit R. P. D.....

ut, sive per se sive per alium ecclesiasticum virum ab eo specialiter  
deputandum, iniuncta, si fieri potest, separatione a cohabitatione,  
sin minus a thoro, per tempus sibi benevisum, quo decurrente  
Orat..... ad pœnitentiæ Sacramentum accedat, prævia absolu-  
tione ab incestus reatibus etiam post missas preces et ante huius  
rescripti executionem forsitan miserabiliter iteratis, atque imposita  
eidem congrua salutari pœnitentia, cum ips..... dispensare  
valeat super enunciatis impedimentis.....

et mixtæ religionis, quatenus cum prædict.....  
acatholic..... matrimonium valide et legitime contrahere, in  
eoque postmodum libere et licite remanere possit, prolem sive sus-  
ceptam sive suscipiendam legitimam declarando; dummodo cautum  
omnino sit conditionibus ab Ecclesia præscriptis, præsertim vero de  
amovendo a parte catholica perversionis periculo, de conversione  
partis acatholicæ pro viribus curanda, deque universa utriusque  
sexus prole sive suscepta sive suscipienda in sanctitate catholicæ  
religionis omnino educanda; erogata in pium opus aliqua eleemo-  
syna, iuxta vires, arbitrio dispensantis. Contrariis quibuscumque  
non obstantibus.

Datum Romæ ex Æd. Sacræ Congregationis de Propaganda  
Fide die et anno ut supra.

Gratis quocumque titulo.

V.—*Pro sanatione in radice.*

BEATISSIME PATER

.....  
.....  
.....  
.....  
.....  
.....  
.....  
.....  
.....  
.....  
.....  
.....  
.....  
.....  
.....  
.....  
.....  
.....  
.....  
.....  
.....  
.....

Ex Audientia SS̄mi habita die.....189

SS̄mus Dominus Noster.....Divina Providentia PP.....  
referente me infrascripto S. Congregationis de Propaganda  
Fide..... R. P. D.....

facultatem tribuit, ut quatenus partes ad renovandum consensum  
induci nullo modo possint, sive per se sive per alium ecclesiasticum  
virum ab eo specialiter deputandum, prævia dispensatione super  
impediment.....

matrimonium de quo in precibus sanare valeat in radice, dummodo  
utraque pars in consensu de præsentibus perseveret. Ipse vero dispen-

sans, in hoc sibi commissio munere explendo declaret se agere nomine Sanctitatis Suae et tamquam ab Apostolica Sede specialiter delegatum, serio moneat.....de gravissimo patrato scelere, salutare ei poenitentias imponat, simulque ipsi declaret ob hanc dispensationem ab ea acceptam matrimonium fieri validum et legitimum, et indissolubile evadere jure divino, et prolem sive susceptam sive suscipiendam legitimam habendam esse. Cum autem de matrimonii validitate in foro externo constare debeat, R. P. D. Ordinarius nomina cum reliqua personarum consueta indicatione in registis matrimoniorum secretorum describi iubeat, simulque autographum documentum praesentis concessionis, communicationis, acceptationis, absolutionis et declarationum a..... ut supra factarum servetur in Curia Episcopali, et exemplar authenticum eidem.....sedulo custodiendum tradatur. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae ex Aed. S. Congregationis de Propaganda Fide, die et anno ut supra.

Gratis quocumque titulo.

## Pars Secunda.

### DE FACULTATIBUS APOSTOLICIS PER FORMULAS EPISCOPIS ET VICARIIS PRAEFECTISQUE APOSTOLICIS PRAESERTIM STATUUM HORUM FEDERATORUM CONCEDI SOLITIS IN SPECIE.

**97.—Notitia praevia.** I. Episcopis nostris prout etiam Excellmo nostro Delegato Apostolico, facultates *ordinariae* in Form. I., *extraordinariae* in Form. C., D. et E. a S. Sede conceduntur. Quae ex facultatibus et quomodo sacerdotibus communicari ac subdelegari possint, expositum est supra n. 32, 35.

II. Episcopi Canadenses praeter Form. I. a S. Sede accipiunt facultates *extraordinarias* in Form. T. et in aliis indultis. Cfr. infra n. 249, 250.

III. Episcopi Angliae, Scotiae, etc. gaudent Formula secunda (F. II.),<sup>1</sup> quae quoad tenorem et numerum facultatum plane concordat cum Form. I., exceptis Art. 2, 4, 5 et 12, ut suo loco notabitur.

IV. De facultatibus *ordinariis* reliquarum Formularum agetur in Appendice; apud singulos vero Articulos Formulæ I. breviter (per litteras **F** et **a**) remittitur ad aequaliter vel similiter sonantes Articulos istarum Formularum.

V. Facultates *extraordinariae* pro locorum *indigentis* conceduntur et maxime variant. Permulta tamen cum iis, quae in nostris Formulis continentur, plus minusve concordant. Ideo hae Formulæ aut omittuntur aut per transennam tantum aliquoties commemorantur. Exemplaria quaedam reperiri possunt ap. *Coll. Miss.* n. 32, 33 et *Act. S. Sed.* vii. 304.

<sup>1</sup>Non confundenda cum Formula secunda apud Corre p. 22 etc., quae facultates *extraordinarias* pro Sinis continet. (Cfr. *Coll. Miss.* n. 33.)